



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

VI. Fecit potentiam in brachio suo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

lavit, fide illustravit, charitate accendit, & populo cœlesti toties me pavit: ad sacerdotium regale, aliósq; per Sacramenta sanctificandos me evexit: Laudabo igitur eum qui potens est & sanctum nomen ejus, cum quatuor Sanctis Animalibus concinens: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. *Apoc. 4. 8.*

V. Et Misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

Meritò ampliùs magnificat anima mea te Domine, & spiritus meus in te Deo saluari meo exultat: quia misericordia tua non mihi tantùm exhibita est, verùm etiam tot Electorum millibus, ex omnibus tribubus, populis & linguis, omnibusque nationibus, quæ sub cœlo sunt, quibus exortus Sol justitiæ lucis fidei & gratiæ radios diffundit, diffundétq; usque ad consummationem seculi, à progenie in progenies, obsequentibus & timentibus eum.

VI. Fecit potentiam in brachio suo.

Virtutem suam ostendendo, non solum in mundi creatione, gubernatione, prodigiosa populi Israëliti ex Ægypto educatione

atione, ceterorumq; Legis veteris prodigiorum patratiōe; verūm etiā in stupenda ac recente Verbi Divini Incarnatione.

Arripe anima mea & hunc, Deum magnificandi titulum : exulta in spiritu, & delectare in Deo salutari tuo; quia fecit potentiam in brachio suo, non solum in prædictis magnalibus; verūm etiam in institutione summè stupendi Eucharistiæ Sacramenti, quo hodie refecta & recreata es: Quare Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus: nam *disperfit superbos mente cordis sui*: Omnipotentiam suam non solum in misericordiæ operibus, sed etiam in iustitiæ severitate manifestans, superbos castigans, eorumque machinationes dissipans & disperdens.

VII. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.*

Magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus meus in Deo salutari suo: quia deposuit potentes de sede, præcipitavit Luciferum, Pharaonem, Nabuchodonosorem, aliosq; superbos, potentes, nobiles humilians : humilem verò Virgi-

R 5 nem